



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Expenduntur verba istius libelli, ex quibus multa notatu digna colliguntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

statim dicitur. Ceterum synodum illam Tolosanam non fuisse habitam certum est, turbatis nimirum Gotthorum rebus, & furentibus post extinctum Alaricum belli reliquiis; quo præterea mortuo, Tolosa victricibus Clodovei armis cecidit, ab imperio Gotthorum distracta. Vix autem est ut inter arma subeat cogitatio congregandorum sacerdotum. Et fortassis hæc mala providebat Cæsarius, cum rescriberet ad Ruricum de consilio Eudomij, orans eum precibus suis ageret apud Deum uti tam sancto proposito favere velit pro sua erga Ecclesiam benignitate. *Et ideo orate*, inquit, *ut tam sancto desiderio suo Dominus tribuere dignetur effectum*. Falluntur ergo qui putant Concilium illud Tolosanum à Cæsario fuisse convocatum.

VI. Romanæ tum Ecclesiæ præsidebat Papa Symmachus, vir Gallicanis Episcopis acceptissimus. Pacatis post Clodovei victorias & mortem rebus Gotthorum, qui ultra Carcassonem latè in provincia Narbonensi & Hispania citeriori imperium tenebant, Cæsarius congregata alicubi synodo, ut ego arbitror, anno DXIII. ex ea scripsit ad Symmachum de iis quæ in Concilio illo decreta fuerant, ab eo petens ut decreta illa observari præciperet in Ecclesia Romana, ut una disciplinæ forma esset in Romana Ecclesia & in provinciis Gallicanis. Quod autem existimem Cæsarium ista scripsisse ex synodo quam, hoc facit, quod de rebus constitutis loquitur in aversione, ut solent epistolæ synodicae, & semper loquitur in numero plurali, *Postulamus, deprecamur, suggerimus*.

VII. Sequenti anno Cæsarius ad Symmachum misit Ægidium Abbatem & Messianum Notarium, nomine ejus petituros confirmationem privilegiorum Ecclesiæ Arelatensis ab apostolica sede concessorum. Illi verò petitionem ejus his verbis conceperunt: *Quantum in omnibus Ecclesiarum Pontificibus, quæ in toto orbe diffuse sunt, apostolica sedes sibi vindicat principatum, & synodalibus decretis firmior ejus præcellit auctoritas, tantum potestatis suæ provisione dudum à sese concessa debet inconcussa servare, quatenus Arelatensis Ecclesia fruatur privilegii sui, quæ nunc per aristitem Cæsarium seriem suæ petitionis insinuat, & quam hæcenus habuit potestatem vestra deprecatur auctoritate firmari; ut quod veneranda sedes quondam perenni sanctione custodiri præcepit, & pragmaticis specialiter decreta sunt constituitis, beatitudinis vestre præceptis suis etiam nunc confirmet auctoritas. Aqueus etiam civitatis Episcopum sanctitatis vestre moneri præcipite constituitis ut dum à Metropolitanano antistite Ecclesiæ Arelatensis ad synodale Concilium fuerit evocatus, vel aliqua ordinationis causa eum sibi postu-*

let religio divina necessarium, minimè venire frustretur. quatinus ea quæ longævus seculis præcorum sanxit auctoritas, vobis præsulibus præsentibus futuræque ætati inviolata serventur.

VIII. Ex hoc libello precum nonnulla colliguntur notatu digna. Primò, contemdisse Cæsarium privilegia Arelatensis Ecclesiæ fuisse perenni sanctione decreta à Pontificibus Romanis. Unde patet parem in hoc esse causam Ecclesiæ Arelatensis & Thessalonicensis, & quæ supra dicta sunt de Thessalonicensis, quod perpetua essent, trahi debere ad Arelatensem. Deinde, privilegia Arelatensis Ecclesiæ pragmaticis specialiter decreta fuisse constitutis, id est, Principum edictis & rescriptis, quæ tamen hodie non extant. Demum, Cæsarium non petisse statim confirmationem privilegiorum Ecclesiæ suæ, sed quo primùm tempore passus contradictionem est ab Episcopo Aqueusensi secundæ Narbonensis Metropolitanæ, qui recusabat ire ad Concilia Cæsarij. Itaque si ea occasio non incidisset, abstinuisset fortassis Cæsarius à petenda confirmatione; ac nihilominus usus fuisset auctoritate sedis suæ, qua eum usum vidimus diu ante hunc annum. Nam & antea Pallium, quod erat insigne Vicariorum sedis apostolicæ, Romæ acceperat à Symmacho; ut statim dicitur.

IX. Accepto libello, Symmachus ad Cæsarium rescripsit rationabile esse ut sancta Arelatensis Ecclesia propriis privilegiis perfruatur, & quod vetustas præstitit, & patrum auctoritas roboravit, novam non debere violare præsumptionem. (Quod dictum esse adversus Episcopum Aqueusensem dubitare non sinit libellus precum.) servanda tamen esse ceterarum Ecclesiarum privilegia. Tum addit: *Manentibus siquidem his quæ patrum constituta singulis Ecclesiis concesserunt, decernimus ut circa hæc quæ tam in Gallia quam in Hispania provinciis de causa religionis emerferint solertia tuæ fraternitatis invigilet; & si ratio poposcerit presentiam sacerdotum servata consuetudine unusquisque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat*. Hæc Symmachus, novum jus Arelatensi Episcopo tribuens quoad Hispaniam provinciam, id est, eam Hispaniarum provinciam quæ in regno Gotthorum constituta erat; in quam imperium suum proferre cogitaverat Cæsarius ante constitutionem Symmachi, ut supra vidimus. Decernit autem ut si controversia incidens amputari potuerit in Concilio Cæsarij, Dei hoc meritis applicetur, alioquin existens negotij qualitas ad sedem apostolicam Cæsario referente perveniat. Quod constitutum est juxta superiorum Pontificum rel-